

publica fuerint, causa autem occulta maneat : quamvis liceret resilire si causa iudici probari nequiret, utputa si cui de fornicatione sponsae constaret, sed testes deessent. Posterior ratio est dubium negativum seu non solide probabile quod de causa resiliendi habeatur : quia ob causam dubiam, alter non est privandus jure quod possidet. Sufficit autem in foro conscientiae, ad habendam moralem certitudinem vel solidam probabilitatem de causa resiliendi, unus testis fide dignus qui testetur ex gr. de fornicatione sponsae. Quandoque tamen statutis provincialibus vel dioecesanis prohibetur ne sponsalia publica et praesertim sollemnia, sine iudicis interventu solvantur, quo perfectius levitatis et scandali periculum removeatur : quae lex particularis, utpote rationabilis, servanda est. (Rosset, de Sacr. Matr. t. II. n. 1077)

CAPUT II.

DE PROCLAMATIONIBUS ET DE EXAMINE SPONSORUM.

§ I. DE OBLIGATIONE PROCLAMATIONUM.

448. I. Legem de proclamationibus seu bannis matrimonio praemittendis ita effert Trid. (Sess. 24 de ref. Matr. c. 1) : " S. Lateranensis Concilii, sub Innocentio III celebrati, vestigiis inhaerendo, (S. Synodus) praecipit ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parochio tribus continuis diebus festis in ecclesia, inter Missarum sollemnia, publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum. "

Haec lex certe sub gravi obligat, ita ut mortaliter peccet parochus qui, absque legitima dispensatione, nullam proclamationem matrimonio praemittat : quod patet tum e gravitate finis ob quem lata est lex, vid. ut detegatur impedimentum quo matrimonium forte irritum fieret, tum e gravibus poenis quibus Trid. (l. c. c. 5) plectit eos qui, omissis proclamationibus, contrahant. Attamen plerique AA. (S. Alph. n. 990) leve reputant omittere unam e tribus requisitis ; immo idem dicendum opinamur cum Salmant. (de Matr. c. 8. p. 6. n. 78), D'Annib. (III. n. 453), etc., si duae omittantur, dummodo per aliquot dies exspectetur antequam matrimonium contrahatur, vel aliter probabile periculum latentis impedimenti removeatur.

Nullatenus autem licet parochio omittere denuntiationes, eo quod moraliter certus sit nullum adesse impedimentum. Etenim violaret

legem qua Trid. non tantum jussit ut certus fieret de absentia impedi- menti, sed determinavit modum quo haec certitudo obtinenda sit. Insuper manifestum est gravissima incommoda oritura esse ex eo quod singulis parochis relinqueretur facultas iudicandi num in casu nullum impedimentum timendum sit. (S. Alph. n. 900)

II. Lex proclamationum omnes nupturientes afficit. Omitti tamen possunt, quando periculum est in mora et episcopus adiri nequit ut dispensatio petatur : tunc enim per epikeiam censeri potest lex cessare. Exempla sunt : si moribundus ducere debet concubinam, sive ad prolem legitimandam, sive ad peccandi occasionem vitandam ; si scandalum aut infamia oriretur e dilato matrimonio ; si duo jam maritaliter vivunt, vel etiam civiliter juncti sunt, qui nunc matrimonium in facie Ecclesiae contrahere velint, sed uterque vel saltem una pars redire nolit, post petitam dispensationem. (S. Alph. n. 1007 ; Rosset, l. c. n. 1176) Oportet tamen in his casibus quatenus per adjuncta licet, examinare num aliquid impedimentum contrahendo matrimonio obstat.

449. III. Proclamationes faciendae sunt tribus diebus festis continuis, nempe ita ut nullus dies festus absque proclamatione praetermittatur. De hac legis parte adverte praesertim sequentia :

1^o Diebus festis proprie intelleguntur Dominicae vel festa, quae de praecepto universalis Ecclesiae vel propriae dioecesis celebrantur. Probabile est iis accensenda esse festa suppressa, dummodo, e voluntate R. P. functiones sacrae in iis peragi pergant, sicut ante suppressionem, et frequens populus ad ecclesiam confluere soleat. Sic in Belgio denuntiantur matrimonia in festis a Pio VII suppressis, minime vero in suppressis a Clemente XIV, cum in his jam non verificetur duplex condicio requisita. (Feye, de Imp. et Disp. Matr. n. 244) Merito autem opinantur recentiores Canonistae (Feye, l. c. n. 246; Aichner, op. cit. § 164) non satisfieri legi per denuntiationes quae fiant diebus feriatis, in quibus sit magnus populi concursus : quia non sufficit finem legis attingere, sed media ad ea praescripta adhibenda sunt. Talis tamen mutatio non foret gravis. (S. Alph. n. 992) Immo in locis Missionum videntur Ordinarii concedere posse ut unica fiat denuntiatio die feriato, si aliter fieri non possit : siquidem, urgente necessitate, penitus a proclamationibus dispensare possunt. Hanc facultatem, diserte concessit Pius IX cunctis Vic. Ap. Indiarum, 8 Sept. 1869. (Coll. P. F. n. 1222)

2^o Servari potest consuetudo, in quibusdam locis vicens, ut proclamationes fiant solis diebus Dominicis, omissis festis per hebdomadam occurrentibus. (Lehm. II. n. 673)

3^o Litterae legis et consequenter strictae obligationi satisfit, ubi banua

proclamantur tribus festis diebus qui forte sibi immediate succedant; consulendum tamen ut aliqui dies inter primam et tertiam proclamationem elabi sinantur. (Feye, l. c. n. 248)

4^o Quamquam nulla lex generalis vetat ne matrimonium celebretur eo ipso die quo ultima proclamatio facta fuerit, id rationabiliter prohibere plura Concilia particularia vel Synodalia Statuta.

5^o Jubet Rit. Rom. (tit. VII. c. 1. n. 11) ut " si intra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter episcopo videatur. " Quare consulat unusquisque dioecesis suae statuta. Nam alibi non sunt repetendae ante tres (Stat. Mechl. n. 301), alibi ante sex menses elapsos. (Aichner, l. c.)

450. IV. Proclamationes faciendae sunt in ecclesia inter missarum sollemnia (Trid. l. c.), i. e. sub Missa parochiali vel conventuali, ac proinde in ecclesia parochiali, nisi forte Missa parochialis in alio oratorio ob specialem rationem celebraretur. Attamen, ex dispensatione episcopi vel ob causam urgentem, possent quandoque fieri sub Vesperis, concione, etc. (Ball. P. n. 892)

V. Denuntiationes faciendae sunt a proprio contrahentium parochio (Trid. l. c.), scil. ab eo in cujus tractu parochiali nupturientes domicilium vel quasi-domicilium habent. (Vol. I. n. 99 seqq.) Hinc ponuntur communiter pro casibus frequentioribus istae regulae (Feye, op. cit. n. 251):

1^o Si sponsus et sponsa habent singuli unum verum domicilium, eorum matrimonium in utriusque domicilio proclamandum est.

2^o Si quis duplex habet domicilium, vel (quod crebrius contingit) domicilium et quasi-domicilium, in utroque proclamandum est.

3^o Si quis a brevi tantum tempore moratur ubi nunc est, denuntiationes faciendae sunt tum in hoc loco, tum in paroecia in qua antea habitabat. A legibus vel usibus dioecesanis pendet quantum tempus in nova paroecia sit commorandum, ut cesset obligatio denuntiationes faciendi in ea quam nupturiens reliquit.

4^o Regulariter non est facienda proclamatio in paroecia originis jamdiu derelicta.

5^o Vagorum matrimonium denuntiare non licet, nisi licentia ab Ordinario obtenta fuerit. Nam Trid. (Sess. 24. de ref. Matr. c. 7), ad vitanda polygamiae pericula, praecepit parochis " ne illorum matrimoniis intersint nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. " Id tamen non valet de iis qui momentanee tantum vagi sunt, dum relicto domicilio ad aliud se transferunt, quamquam quoad reliqua vagis accensentur (Feye, op. cit.

n. 238); neque de iis qui in eodem loco, puta civitate, vagantur: quia isti, licet non habeant certam paroeciam, tamen in illo loco jam cogniti sunt. (S. Alph. n. 1089)

§ 2. DE DISPENSATIONIBUS IN LEGE PROCLAMATIONUM.

451. I. Ordinarius in hac lege dispensare potest: id enim ejus prudentiae et judicio reliquit Trid. (l. c. c. 1) Ordinarii autem nomine venit non tantum episcopus, sed et ejus vicarius generalis, qui unum tribunal cum episcopo facit. (S. Alph. n. 1007) Uterque hanc dispensandi facultatem delegare potest. (Vol. I. n. 119)

Juxta Trid. (l. c.), quando nulla vel una tantum proclamatio ante matrimonium facta est, ante illius consummationem, denuntiationes in ecclesia faciendae sunt. Sed id etiam prudentiae episcopi remittitur, et in praxi fieri non solet.

II. Quando nupturientes ad diversas dioeceses pertinent, probabilis dispensatio ab utroque Ordinario obtinenda est. Huic sententiae favit S. C. C. (in una Visen. 20 Apr. 1606), dum jussit ut vel uterque dispensaret, vel saltem ab altero Ordinario haberetur testimonium de statu libero contrahentium. (Feye, op. cit. n. 266) Probabilis tamen est sententia opposita, quia, ob unitatem actus ab utroque ponendi, quod indulgetur uni parti, transit ad alteram, vel, si dispensat Ordinarius loci in quo contrahetur, quia locus regit actum. (S. Alph. n. 1006; Gasp. n. 183; Aichner, op. cit. § 163)

Cavendum tamen ne talis dispensatio detur nisi certo constet nullo impedimento ligari partem extraneam. Saepe etiam inter Ordinarios convenit ut unus dispensationem pro parte etiam extranea concedere valeat.

III. Ut licite ab omnibus denuntiationibus dispensetur, requiritur ut urgeat legitima, gravissima et ineluctabilis causa. (Bened. XIV, Const. Nimiā licentiam, 18 Maii 1743).

Talis censetur, praeter casus supra citatos (n. 448): a) Verecundia vel infamia contrahentium: puta si matrimonium inire cupiunt duae personae quae se conjugio junctas esse falso asserunt, et in loco domicilii passim pro conjugibus habentur; si sponsi, quibus ob causas morales suadendum est matrimonium, condicione vel aetate ita sint impares ut propterea proclamationes ipsis verterentur in opprobrium. — b) " Si probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes. " (Trid. l. c.) — c) Si inter

magnates nuptiae contrahantur, eo quod ita habet usus et eorum matrimonia notissima esse solent. (Aichner, l. c.) — *d*) Si certo moraliter constet nullum adesse impedimentum. (S. Alph. n. 1006) — *e*) Si matrimonium contrahatur a parte catholica, post legitimam dispensationem, cum parte infideli vel haeretica, et e proclamatione scandalum timeatur. Quodsi proclamatio fiat, nihil dicendum est de religione contrahentium. (S. Inqu. 4 Jul. 1874; Coll. P. F. n. 1223) — *f*) Periculum animae, ex. gr. si duo concubinari matrimonium contrahere velint, et periculum sit ne iterum carnaliter commisceantur, si matrimonium differatur. (Rosset, op. cit. n. 1181)

Minores causae sufficiunt ut ab una vel altera denuntiatione dispensentur. Tales sunt: periculum fornicationis, infamia imminens e partu sponsae defloratae, matrimonium civile jam contractum vel propediem contrahendum, etc.

§ 3. DE OBLIGATIONE REVELANDI IMPEDIMENTA.

452. I. Facta proclamatione, tenetur ad revelanda impedimenta, etiam maxime occulta, quicumque novit aliquod impedimentum dirimens vel impediens inter sponso intercedere. Haec enim obligatio oritur ex ipso jure divino et naturali, quo jubemur a sacramento remove periculum irreverentiae, proximum vero servare a gravi peccato aliisque malis plurimis quae ex invalido matrimonio nasci solent.

Insuper Ecclesia, dum jubet denuntiari matrimonia, saltem implicite praecipit omnibus ut impedimenta, validae vel legitimae celebrationi matrimonii obstantia, ei ad quem pertinet manifestent. Idem expresse injungitur in formula proclamationum quam exhibet Rit. Rom. (tit. VII. c. 1. n. 13)

Urget haec obligatio etiam illum qui solus impedimentum norit: nam, cum agitur de vitando peccato et nullitate sacramenti, unus testis etiam in foro externo creditur. Idem dicendum si quis illud novit tantum ex auditu, dummodo audierit a persona fide digna et quae illud tamquam certum narraverit. Non tenetur vero ad denuntiandum qui illud audivit a persona quae fidem non mereatur vel ipsa dubitet. (Schmalgr. in l. 4. Decr. n. 57 seqq.)

Docent plerique AA. admonitionem secretam regulariter praemitendam esse denuntiationi, quando impedimentum oritur ex peccato occulto. Sed rectius censent alii (D'Annib. III. n. 454. nota 24) eam potius omittendam esse, ne inimicitiae oriantur si, frustra admoniti, a nuptiis prohibeantur.

II. A denuntiatione facienda **excusatur** (Ball. P. n. 906):

1° Qui e revelatione magnum sibi aut aliis damnum probabiliter timet: non enim urget lex cum gravi incommodo.

2° Qui prudenter existimat se nihil profecturum denuntiatione; multo magis si hanc in contrahentium detrimentum cessuram conjicit.

3° Qui probabiliter censet revelationem grave scandalum apud alios parituram esse.

4° Qui novit contrahentes impetrasse occultam dispensationem pro foro interno, nisi fama impedimenti publica sit et nemo alius illud denuntiare velit aut probare possit.

453. III. Omnium consensu, manifestandum est impedimentum quod cognoscitur tantum sub secreto naturali vel promisso; reticendum est, quod e secreto sacramentali innotuit.

Plurimum vero discrepant AA. de impedimento quod notum sit sub secreto commisso. Nos autem, huic casui applicantes quae (Vol. I. n. 432) universe de revelatione secreti commissi statuimus, opinamur istud impedimentum regulariter manifestandum esse, prout communiter AA. sentiunt. (Schmalzgr. in l. 4. Decr. t. 3. n. 55; Ball. P. n. 905) Regulariter enim custodia secreti commissi in his adjunctis cedet in detrimentum tertii innocentis, vel in damnum publicum. Si enim uterque contrahens versatur in bona fide, reticentia utrique nocet, dum nulliter contrahunt; si unus in mala fide est, alter in bona, hic graviter decipitur nisi impedimentum reveletur; si uterque in mala fide est, saltem sacramento injuria irrogatur. Si forte agatur de impedimento mere impediante, plerumque habebitur irreverentia sacramenti, damnum spirituale contrahentium vel etiam tertii, ut si impedimentum sunt sponsalia ante inita. Attamen cum Gury (II. n. 742), Ball. P. (l. c.) aliisque opinamur a denuntiatione facienda excusari eum cui secretum commissum sit ratione officii, ex. gr. medici vel advocati: videtur enim praeponderare ratio boni communis quod e strictissima talis secreti custodia oritur. Idem dicendum putamus cum Gobat (Th. Mor. de Matr. n. 537) et Sporer (Theol. Sacr. de Matr. n. 382), si forte revelari nequit impedimentum sine gravi infamia committentis, qui nullas partes in hoc matrimonio contrahendo haberet, ex. gr. mulieris quae sub secreto commisso manifestasset se rem habuisse cum sponso sororis suae. Nihilominus in his casibus exceptis conandum esset ut alio medio, ex. gr. monitione secretum committentis, matrimonii invaliditas aliudve malum imminens averteretur.

§ 4. DE EXAMINE SPONSORUM.

454. Duplex sponso examen distinguitur proclamationibus praemittendum: alterum generale, alterum speciale. (Aichner, op. cit. § 165)

I. Generale examen illud est quo parochus ex ipsis sponsis exquirere tenetur an adsint omnia requisita ad matrimonium valide et licite celebrandum, vid. libera utriusque voluntas, absentia impedimenti, consensus parentum, saltem regulariter, pro filiis vel filiabusfamilias, etc. (Rit. Rom. l. c. n. 1; Bened. XIV, Const. *Nimiam licentiam* cit.) Formam examinis fusius exponere solent Statuta vel Ritualia dioecesana. Tenentur autem nupturientes sub gravi ad impedimenta manifestanda, nisi agatur de impedimentis occultis a quibus dispensationem pro foro conscientiae obtinuissent: secus enim pravam voluntatem haberent sacramentum invalide, vel saltem illicite suscipiendi.

Quodsi unus nupturientium ad aliam parochiam pertinet, parochus qui matrimonio interfuturus est, debet a parochio alterius partis authenticum testimonium obtinere de absentia impedimenti et de factis proclamationibus. Si vero unus vel uterque pertinet ad aliam dioecesim, similiter si vagus est vel, aetate jam adulta, diu in alia dioecesi versatus est, parochus ad Ordinarium suum recurrere debet, ut iste per se vel per Ordinarium alterius dioecesis examen instituat de statu libero unius vel utriusque contrahentium, neque ad proclamationes procedere potest antequam testimonium de statu libero obtinuerit. Juxta Instr. S. Off., 21 Aug. 1670, a Clemente X confirmatam, status liber nupturientium seu eorum immunitas ab impedimentis, et praesertim a vinculo jam contracti matrimonii, probandus esset per examen duorum testium pro unaquaque parte. Verum, extra dioeceses ditionis Pontificiae, fere ubique viget consuetudo ut hoc examen testium non instituat; in quibusdam locis eidem suppletur per juramentum a nupturientibus praestitum, testimonium parochi loci a quo venerunt aliasve cautiones; alibi, praesertim ubi multae sunt migrationes ab una regione vel dioecesi in aliam, quandoque practice nihil aliud exigitur quam jurata nupturientium affirmatio et testimonium eorum quibus iidem noti sunt. Non omnino conveniunt Canonistae num legitima sit consuetudo qua determinatae probationi a Clemente X praescriptae alia et quandoque non ita secunda substituta sit. Sic inter recentissimos scriptores severius de eadem consuetudine loquitur Gasparri (de Matr. I. n. 139), mitius Rosset (de Sac. matr. II. n. 1126) et De Becker (op. cit. p. 274). In praxi sacerdotes tuti erunt in conscientia si in hac re sequuntur mores in dioecesi sua a sedulis parochis receptos et ab Ordinario, saltem tacite, probatos. Si adhibitis investigationibus quae adhiberi solent, quantum moraliter fieri potest in casu, dubium superesset de statu libero contrahentium, debent vel amplioribus investigationibus dubium expellere, vel ad Ordinarium recurrere.

II. Speciale examen illud est quod instituitur ad cognoscendum num
“uterque sponsus sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere

debeat. „ (Rit. Rom. l. c.) Hoc examen proclamationibus praemittendum esse, pluries decreverunt Rom. Pontifices. (Bened. XIV, Const. *Etsi minime*, 7 Febr. 1742) Rudimenta autem fidei intelleguntur ea quae unicuique cognoscenda sunt necessitate medii vel praecepti. Quatenam illa sint et qua ratione eorum notitia a rudibus sit exigenda, satis explicatum est Vol. I. n. 191 seqq.

CAPUT III.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

§ I. QUID SIT, QUAE EJUS MATERIA, FORMA, MINISTER, SUBJECTUM.

455. I. Matrimonium dupliciter sumi solet: *in fieri*, quo sensu est ille actus, quo vir et femina in statu conjugii constituuntur: *in facto esse*, quo sensu est ipse hic status, qui ad hujusmodi actum refertur tamquam effectus ad suam causam.

In priore sensu **definitur**: Contractus quo mas et femina, nullo Jure impediti, se ad individuum vitae societatem et mutuam corporum traditionem, in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, obligant.

In posteriore, est: Perpetua et indissolubilis conjunctio seu vinculum viri et feminae, ortum ex eorum consensu, verbis vel aliis signis expresso. (Schmalzgr. in l. 4. t. 1. n. 223)

Matrimonium *in facto esse* latiori tantum sensu sacramentum dici potest, quatenus pro tota vita significat unionem Christi cum Ecclesia. Sacramentum N. L. in sensu stricto est solum matrimonium *in fieri*, seu contractus matrimonialis supra definitus, inter baptizatos initus et a Christo vi producendae gratiae sanctificantis donatus.

Igitur in matrimonio christiano contractus a sacramento dissociari nequit, nec potest contractus verus et legitimus consistere quin sit eo ipso sacramentum. “Nam Christus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. „ (Leonis XIII Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880) Haec veritas summi momenti est contra errores in pleraque Jura hodierna de matrimonio receptos: quare etiam fusius a Dogmaticis probari solet.

II. Materia remota hujus sacramenti sunt ipsa contrahentium corpora. **Materiam proximam** et **formam** simul ponit legitimus con-